
REGVLA
SANCTI FRANCISCI.



MEDIOLANI,
Apud Pacificum Pontium, M. D. LXXXVII.

Superiorum Concessu.

INDEX
EORVM OMNIVM
QVAE IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR,

Singulis titulis ordine distinctus.

Tituli Partis secundæ.



Horta-


Tituli Partis tertiæ.

De


strarum

APPROBATIONIS REGVLÆ CONFIRMATIO.





ONORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs, fratri Franciſco, & alijs fratribus de ordine fratrum Minorum, ſalutẽ, & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apoſtolica pijs votis, & honeſtis petentium deſiderijs, fauorem beneuolum impartiri. Ea propter dilecti in Domino filij, veſtris pijs precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædeceſſore noſtro approbatam, annotatam præſentibus, auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; Quæ talis eſt.



IN NOMINE DOMINI, INCIPIT REGVLA, ET VITA Fratrum Minorum. Cap. I.

REgula, & vita Fratrum Minorum hæc est: scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiam domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesię Romanæ. Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius successoribus obedire. Generale præceptum. Habet vim præcepti.

De his qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant. Cap. II.

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros prouinciales, quibus solummodo & non alijs, recipiendi fratres licentia concedatur. Ministri uerò diligenter examinent eos de fide catholica, & de Ecclesiasticis Sacramentis. Et si hęc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vsq; in finem firmiter obseruare, & vxores non habent, uel si habent, & iam monasterium intrauerint vxores, uel licentiam eis dederint auctoritate diœcesani Episcopi, voto continentiæ iam emisso, & illius sint ætatis vxores, quòd non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Euangelij; quòd vadant, & vendant omnia sua, & ea studeāt pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona volūtas. Et caueant fratres, & eorum Ministri, nè soliciti sint de rebus su is temporalibus, ut liberè faciant de rebus suis, quicquid dominus inspi- Aequipollet præcepto. Aequipollet præcepto. Aequipollet præcepto. Aecuipollet præcepto.

rauerit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeāt Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & brachas, & caparonem usq; ad cingulum, nisi eisdem Ministris aliud secundùm Deum aliquando videatur. Finito uerò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes uitam istam semper, & regulam obseruare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ, quia secundùm sanctum Euangelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Et illi qui iam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam, cū caputio, & aliam sine caputio, qui uoluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calciamenta. Et fratres omnes uestimentis uilibus induantur, & possint ea repeciare de saccis, & aliis pecijs, cum benedictione Dei. Quos moneo, & exhortor, ne despiciant, neque iudicent homines, quos uiderint mollibus uestimentis, & coloratis indutos, uti cibis, & potibus delicatis, sed magis unusquisque iudicet, & despiciat semetipsum.

Aequipollet præcepto. Aequipollet præcepto. Præceptum. Aequipollet præcepto. Aequipollet præcepto. Aequipollet præcepto.

De diuino officio, & ieiunio, & quomodo fratres debeant ire per mundum. Cap. III.

Aequipollet præcepto.

Clerici faciant diuinum officium secundùm ordinem sanctę Romanæ Ecclesiæ, excepto psalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria. Laici uerò dicant uiginti quattuor pater noster pro matutino, pro laudibus quinq;, pro prima, tertia, sexta, & nona, pro qualibet istarum septem, pro uesperis autem duodecim,

pro

pro completorio septem, & orent pro defunctis. Et ieiunent à festo omnium sanctorum, usq; ad Natiuitatem Domini. Sanctam uerò Quadragesimam, quę incipit ab Epiphania usq; ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecrauit, qui uoluntariè eam ieiunant, benedicti sint à domino, & qui nolunt, non sint astricti: sed aliam usq; ad Resurrectionem Domini ieiunent. Alijs autem temporibus, non teneantnr nisi sexta feria ieiunare. Tempore uerò manifestæ necessitatis, non teneantur fratres ieiunio corporali. Consulo uerò, moneo, & exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo, ut quando uadunt per mundum, nō litigent, neq; contendant uerbis, nec alios iudicent, sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, uel infirmitate cogantur. In quamcunq; domum intrauerint, primùm dicant. Pax huic domui. Et secundùm sanctum Euangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.

Aequipollet præcepto.

Habet vim præcepti.

Aequipollet præcepto.

Quòd fratres non recipiant pecuniam. *Cap. IIII.*

PRæcipio firmiter fratribus uniuersis, ut nullo modo denarios, uel pecuniam recipiant, per se, uel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, & alijs fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri tantùm, & Custodes solicitam curam gerant, secundùm loca, & tempora, & frigidas regiones: sicut necessitati uiderint expedire. Eo semper saluo, ut (sicut dictum est) denarios, uel pecuniam non recipiant.

Præceptum.

Aequipollet præcepto.

FRatres illi, quibus gratiam dedit dominus laborandi, laborent fideliter, & deuotè, ita quòd excluso ocio animæ inimico, sanctæ orationis & deuotionis Spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede uerò laboris, pro se, & suis fratribus, corporis necessaria recipiant: præter denarios, uel pecuniam. Et hoc humiliter, sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

Quòd fratres nihil sibi approprient, & de eleemosyna petenda, & de fratribus infirmis. Cap. VI.

Præceptum. FRatres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc seculo, in paupertate, & humilitate domino famulantes, uadant pro eleemosyna cōfidenter, nec oportet eos uerecundari, quia dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ uos carissimos fratres meos, hæredes, & reges regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, uirtutibus sublimauit. Hæc sit portio uestra, quæ perducit in terram uiuentium. Cui dilectissimi fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cœlo habere uelitis. Et ubicunq; sunt, & se inuenerint fratres, ostendant se domesticos inuicem inter se, & securè manifestet unus alteri necessitatem suam, quia si mater nutrit, & diligit filium suum carnalem, quantò diligentiùs debet quis diligere, & nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei seruire, sicut uellent sibi seruiri.

Aequipollet præcepto.

De pœnitentia fratribus peccantibus imponenda.
Cap. VII.

SI qui fratrum (instigante inimico) mortaliter pec cauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos Ministros prouinciales, teneantur prędicti fratres ad eos recurrere, quàm citius poterunt sine mora. Ipsi uerò Ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis pœnitentiam. Si uerò presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis, sicut eis secundùm Deum melius uidebitur expedire. Et cauerę debent, ne irascantur & conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira, & conturbatio, in se, & in alijs impediunt charitatem. Habet vim præcepti.

De electione Generalis Ministri huius fraternitatis, & de capitulo Pentecostes. Cap. VIII.

VNiuersi fratres unum de fratribus istius religionis teneātur semper habere Generalem Ministrum, & seruum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat à Ministris prouincialibus, & Custodibus in capitulo Pentecostes, in quo prouinciales Ministri teneantur semper insimul conuenire, ubicunq; à Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, uel ad alium terminum maiorem, uel minorem, sicut à prędicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret uniuersitati Mnistrorum prouincialium & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium, & communem utilitatem fratrum, teneantur prædicti fratres, quibus electio data est, in Nomine Domini, alium sibi eligere in Custodem. Post Habet vim præcepti. Habet vim præcepti. Habet vim præcepti. Habet vim præcepti.

capi-

Capitulũ uerò Pentecostes, Ministri, & Custodes possint singuli, si uoluerint, & eis expedire uidebitur, eodem anno in suis Custodiis semel fratres suos ad Capitulum conuocare.

De prædicatoribus. Cap. IX.

Aequipollet pręcepto. Aequipollet præ cepto.

FRatres non prędicent in episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat prędicare, nisi à Ministrò Generali huius fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus: & ab eo sibi officium prædicationis concessum. Moneo quoque, & exhortor eosdem fratres, ut in prędicatione, quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad utilitatem, & ędificationem populi: annunciando eis uitia, & uirtutes, poenam, & gloriam cum breuitate sermonis, quia uerbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

De admonitione & correctione fratrum. Cap. X.

FRatres, qui sunt Ministri, & serui aliorum fratrum, uisitent, & moneant fratres suos, & humiliter, & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, & Regulam nostram. Fratres uerò, qui sunt subditi, recordentur, quòd propter Deum abnegauerunt proprias uoluntates. Vnde firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris, in omnibus, quę promiserunt Domino obseruare, & nõ sunt contraria animę suę, & Regulę nostræ. Et ubicunq; sunt fratres, qui scirent & cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant, & possint recurrere. Ministri uerò charitatiuè, & benignè eos recipiant, & tantam familiaritatem

Præceptum.

Aequipollet præcepto.

tatem habeant circa ipsos,ut dicere possint eis, & face re,sicut Domini seruis suis. Nam ita debet esset,quòd Ministri sint serui omnium fratrũ. Moneo uerò,& exhortor in Domino Iesu Christo, ut caueant fratres ab omni superbia, uanagloria, inuidia, auaritia, cura, & solicitudine huius seculi,detractione,& murmuratione. Et non curent nescientes littetas, litteras discere; sed attendant,quod super omnia desiderare debent, habere Spiritum Domini, & sanctam eius operationem,orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in persecutione, & in infirmitate, & diligere eos,qui nos persequuntur, reprehendunt,& arguunt:quia dicit Dominus. Diligite inimicos uestros, & orate pro persequentibus, & caluminantibus uos. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.

Quòd fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum. Cap. XI.

PRecipio firmiter fratribus uniuersis, nè habeant sũspecta consortia,uel consilia mulierum,& nè ingrediantur Monasteria Monacharũ: præter illos, quibus à sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres uirorum,uel mulierum; nè hac occasione inter fratres, uel de fratribus scandalũ oriatur.

Præceptum. Preceptum. Præceptum.

De euntibus inter Saracenos & alios infideles. Cap. XII.

QVicunque fratrum,diuina inspiratione,uoluerint ire inter Saracenos, & alios infideles; petant

inde


inde licentiam à suis Ministris prouincialibus. Ministri uerò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hęc per obedientiam iniungo Ministris, ut petant à Domino Papa unum de sãctæ Romanæ Ecclesię Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis, ut semper subditi, & subiecti pedibus eiusdẽ sanctę Romanæ Ecclesię: stabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus.

Præceptum.

Confirmatio Regulæ.


NVLLI ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis infringere: uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno octauo.

Explicit Regula Fratrum Minorum.



INCI-

INCIPIT TESTAMENTVM Beati Patris nostri Francisci.



Ominus dedit mihi fratri Francisco, ita incipere facere pęnitentiam: quia cùm essem in peccatis, nimis mihi uidebatur amarum uidere leprosos: sed ipse dominus conduxit me inter illos; & feci misericordiã cum illis; Et recedente me ab ipsis, id quod uidebatur mihi amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animę, & corporis. Et postea parùm steti,& exiui de sęculo:& dominus dedit mihi talem fidem in ecclesijs ut ita simpliciter adorarem,& dicerem. Adoramus te sanctissime domine Iesu Christe, hic,& ad omnes ecclesias tuas quę sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum. Postea dominus dedit mihi tantam fidem in sacerdotibus qui uiuunt secundum formam sanctę Romanę Ecclesiæ propter ordinem ipsorum: quòd si facerent mihi persecutionem, uolo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit;& inuenirem pauperculos Sacerdotes huius sęculi, in ecclesijs in quibus morantur nolo prędicare, ultrà uoluntatẽ ipsorum. Et ipsos,& omnes alios, uolo timere, amare, & honorare sicut dominos meos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia filium Dei discerno in eis, & domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil uideo corporaliter in hoc saculo de ipso altissimo filio Dei; nisi sacratissimum corpus eius, & sanctissimum sanguinem suum quem ipsi conficiunt,& ipsi soli alijs administrant. Et hęc sanctissima mysteria super omnia uolo honorare,& uenerari, & in locis preciosis collo-

care. Sanctiſſima nomina,& verba eius ſcripta ubicunq; inuenero in locis illicitis, volo colligere,& rogo quòd colligantur: & in loco honeſto collocentur. Et omnes theologos,& qui miniſtrant nobis ſanctiſſima uerba diuina debemus honorare, & uenerari: ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum,& uitam. Et poſtquam Dominus dedit mihi de fratribus: nemo oſtendebat mihi quid deberem facere, ſed ipſe Dominus reuelauit mihi, quòd deberem viuere ſecundùm formam ſancti Euangelij. Et ego paucis uerbis, & ſimplicibus feci ſcribi, & Dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui ueniebant ad recipiendum vitam iſtam, omnia quæ habere poterant, pauperibus erogabant. Et eramus contenti tunica vna, intus, & foris repetiata, cum cingulo, & brachis, & nolebamus plùs habere. Officium dicebamus nos clerici, ſecundùm alios clericos. Laici dicebant pater noſter. Et ſatis libenter manebamus in eccleſiis: & eramus idiotæ,& ſubditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alii fratres firmiter uolo quòd laborent, de laboritio quod pertinet ad honeſtatem, & qui neſciunt diſcant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendam ocioſitatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini petendo eleemoſynas oſtiatim. Salutationem mihi Dominus reuelauit, ut diceremus. Dominus det tibi pacem. Caueant ſibi fratres, ut eccleſias,& habitacula, & omnia alia, quæ pro ipſis conſtruuntur, penitus non recipiant, niſi eſſent ſecundùm ſanctam paupertatem, quam in Regula promiſimus, ſemper ibi hoſpitantes, tanquam aduenæ, & peregrini. Præcipio firmiter

per

per obedientia in fratribus vniuersis, quòd ubicunq; sunt, non audeant petere aliquam litteram in curia Romana, per se, vel per interpositam personam, neque pro ecclesia, neq; pro aliquo loco, neque sub specie prędicationis, neque pro persecutione suorum corporum, sed ubicunq; non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendum ibi pœnitentiam, cum benedictione Dei. Et firmiter uolo obedire Generali Ministro, & illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare, & ita uolo esse captus in manibus suis, ut non possim ire, vel facere vltrà voluntatem suam: quia dominus meus est. Et quamuis sim simplex, & infirmus, tamen volo semper habere clericum qui mihi faciat officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alij fratres teneantur per obedientiam obedire Guardianis suis, & facere officium secundùm Regulam. Et qui inuenti essent, qui non facerent officium secundùm Regulam, & uellent alio modo uariare, aut non essent Catholici, omnes fratres vbicunq; sunt, per obedientiam teneantur, quòd ubicunque inuenerint aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, vbi ipsum inuenerint, debeant præsentare. Et Custos teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vinculis die, noctuque: ita quòd non possit eripi de manibus suis, donec propria persona sua, ipsum representet in manibus sui Ministri. Et Minister teneatur firmiter per obędientiam mittere ipsum per tales fratres, qui die noctuq; custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis, donec repręsentent ipsum corà m Domino Ostiense: qui est Dominus Protector & Corrector istius fraternitatis. Et non dicant fratres, hæc est alia Regula: quia hæc est recordatio, admonitio, & exhortatio, &

 meum.

meum testamentum : quod ego frater Franciscus paruulus vester, facio vobis fratribus meis benedictis: propter hoc ut Regulam, quam Domino promisimus, meliùs catholicè obseruemus. Et Generalis Minister, & omnes alij Ministri, & Custodes, teneantur per obedientiam in istis uerbis non addere, vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum iuxta Regulam. Et in omnibus capitulis, quæ faciunt; quando legunt Regulam, legant, & ista verba. Et omnibus fratribus meis, clericis, & laicis præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glosas in Regula, nec in istis uerbis: dicendo ita volunt intelligi. Sed sicut Dominus dedit mihi purè, & simpliciter dicere, & scribere Regulam, & ista verba: ita simpliciter, & purè, sine glosa intelligatis, & cum sancta operatione obseruetis usque in finem. Et quicunq; hæc obseruauerit, in cœlo repleatur benedictione altissimi patris cęlestis, et in terra repleatur Benedictione dilecti filji sui, cũ sanctissimo Spiritu paraclito, & omnibns virtutibus cœlorum, & omnibus sanctis. Et ego frater Franciscus paruulus, & uester seruus, quantumcunque possum, confirmo uobis intus, & foris istam sanctissimam Benedictionem. Amen.

Explicit Testamentum Beati Patris nostri Francisci.




EPISTOLAE REVER.mi P. N. GENERALIS MINISTRI

DE QVIBVS IN IIS Decretis fit mentio.

F. FRANCISCVS GONZAGA, Totius Ordinis Minorum Generalis Minister, & eruus.

R. Ac Venerandis Patribus Ministris, Custodibus, Guardianis, Vicariis, cæterisq; Patribus, & religiosis, Nobis amantissimis, Dei dilectionem, & perpetuam fœlicitatem.



VM (vt nostis) grauissimum hoc onus supra vires nostras à Capitulo generali Nobis iniunctum suscipere coacti fuerimus, reliquum est, vt tales Nos in regimine exercẽdo præstemus, quales coram summo Iudice, in extremo die comparere optamus. Verumenimuero, quia nec Nos simul esse in omnibus locis, nec omnes fratres ad Nos accedere possunt, nec expedit; visum Nobis est, per has præsentes litteras, præcipuas ruinæ Religionis nostræ causas, vobis aperire: vosque commonere de nostra voluntate, quam (Deo inspirante) ad nostri seraphici Ordinis reformationem, ac instaurationem concepimus, eodemq; opt: maximoq; Deo fauente, totis viribus, & præsentes, & absentes prosequemur. Simul, & à vobis id obnixè requirentes, quatenus, quod vestra interest

aga-

agatis, & conemini, vt splendor nostræ seraphicæ Religionis, qui quorundam insolentium vitio penè obtenebratus est, eruatur è tenebris, splendeatq; eminùs apud omnes; vt bonus Christi odor, in exemplari vita foueat, ac recreet per nos, omnes fideles, ita vt redeat primitiuæ nostræ Religionis color optimus, & aurum diuinæ charitatis fulgeat in nobis. Itaq; Patres mei charissimi obsecro uos per misericordiam Dei, estote in vocatione vestra imitatores tanti, ac verè seraphici Francisci, emulatores semper charismatum meliorum. Vosq; Prælati, & Maiores pascite, pascite gregem vestrum, pascite exemplo, scientes,
Eccl. 10. quòd, vt sapiens rectè ait. Qualis ciuitatis rector fuerit, tales, & inhabitantes in ea erunt. Discant à vobis subditi, vt vereantur contrarium ipsi facere; turpeq; existiment filii, non imitari patrem. Tunc enim in peccantes candida fronte animaduertere valebitis, cùm in similibus vos minimè labe mini. Accingimini igitur tanquam viri fortes, ac Religionis pereuntis instaurandæ zelo accensi, adiuuate Nos in hac sanctissima reformatione, quam instituimus multùmque obesse existimate, si non prodesse pro virili studueritis.

Atque in primis omnis cura, & diligentia à vobis adhibeatur, vt religiosi curę vestræ commissi, in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide viriliter perseuerent; pro tuenda eius veritate, ac Sanctiss. Rom. Pont. auctoritate, fortiter dimicent: Deũ timeant; eius mandata semper custodiant: Ecclesiasticas sanctiones, præsertim sacrum Tridentinum Concilium, & pias Patrum traditiones integrè, & ad vnguem seruent; Ad Regulę B.P. Francisci præscriptum, vitam instituant. Transgressores autem (vt decet) punire curabitis, vt cæteri timore correpti, sibi caueant, & intelligant, quàm sit grauissimum peccatum, emissi voti transgressio. Qui enim votum infringit, Deum irridet; vt S. Benedictus dicit, & Deo mentitur, cui vouit. Audiant igitur
Eccl. 5. sanctam scripturam dicentem. Si quid vouisti Deo, nè moreris reddere; displicet enim, ei infidelis, & stulta promissio. Non ergo quod egressum est de labiis nostris, irritum faciamus nè, & ipse Dominus (in cuius manus incidere horrendum est) in nouissimo irrideat nos, partemque nostram ponat cum hypocritis.

Vt.

Vt ergo ad puriorem professionis obseruantiam omnes vestro fauore excitentur, instanter rogo, & obsecro vos, ò animarum Pastores, vt totis viribus foueatis, & opitulemini, ac per humaniter tractetis eos fratres, quos inueneritis zelatores, & obseruantiores Regulæ nostræ, siue recollecti, siue reformati nuncupentur. Siquidem illorum pietate, & vestra in eos dilectione fiet, vt regularis disciplina, & vera pax Prouinciarum conseruetur, & augeatur. Nihil igitur molestiæ eis inferatis, nec ab aliis (quantum in vobis est) inferri patiamini: ne inde ordinis vnio, iacturam sustineat. Præfatos itidem Patres recollectos, & reformatos, rogamus, monemus, obsecramus, & enixè requirimus imò, & per mortem acerbissimam Domini nostri Iesu Christi obtestamur, vt omninò caueant, nè illorum, causa, hæc minor Ecclesia, nempe sacra Religio nostra, diuidatur, scindatur, aut laceretur; scientes domos recollectionis pro bono Prouinciarum, & Ordinis vnione seruanda, reuera institutas esse. Reformati

Vigilate itaque, super vos, & super gregem vobis commissum, nè dicatur de vobis, quod de quibusdam dictum est, quòd sit egressa iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum; & quod in Osea legitur. Speculator Ephraim, & Propheta, laqueus ruinæ factus est, super omnes vias eius; inania in domo Dei eius, &c. Sanè quantum (Deo dante) depræhendere quimus, negligentiam Prælatorum, & omissionem siue interruptionē visitationū, atque incuriam, & indulgentiam erratorum, præcipuas existimamus fuisse causas lapsus, ac ruinæ, religiosæ obseruantiæ, & excidii nostri seraphici instituti. Quod etiam non parum labefactarunt, inutilium ad Ordinem susceptio, negligens nouitiorum institutio, & iuuenum nimia libertas. Ideo volumus, vt non tam facilè aditus omnibus pateat, nec suscipiantur indifferenter; meliùs enim est paucos esse, quàm multos non timentes Deum, & populum scandalizantes. Suscipiendi benè probentur, atquè examinentur. Suscepti, rectè instituantur; præsertim in his, quæ fidei sunt, quemadmodum Regula ipsa docet. Et quoniam sæpè contingit, vt Doctrinam Christianam nesciant, præcipimus Prælatis per obedientiam, nè ad professionem ullum admittant, siue clericum, siue laicum, nisi integrè eam doctrinam, & Regulę nostræ

Dan. 3.

Osea. 9.

Causæ ruinæ Religionis.

Nouitii.

Doctrinæ Christianæ & Regulæ præcepta.

nostræ præcepta didicerit, & coram fratribus in communitate recitauerit.

Sed & illud vos monitos esse cupimus, vt inutiles, & frequentes discursus fratrum, & euagationes prorsus tollantur; siquidem omnis relaxationis, instantisque ruinæ, certum indicium est, vagus inutilis, frequensquè (nulla necessitate vrgente) discursus fratrum, nec parum inde scandali ansam, sæculum arripit.

Discursus

Ad sæcularium confessiones audiendas, viri ætate maturi, scientia præditi, & morum honestate nitentes, promoueantur; qui iusti iudicis, & optimi medici, officium subire valeant.

Confessarii.

Cæterum quia Confessorum ignorantia, totius ferè ruinæ, Christianæ religionis, causa est; volumus, vt in singulis Monasteriis sacrorum canonum, & casuum conscientiæ lectio habeatur; nè ipsi Confessores, pariter cum iis, quorum confessiones audiunt, ob officii huiusmodi ignorantiam, iudicium ęternæ damnationis incurrant. Quoniam autem, qui indignos, vel minus aptos confessarios exponit, ac promouet; vel etiam iam expositos fert, atque tolerat grauiter proculdubio peccat; idcirco illi, qui iam ad audiendas confessiones sunt promoti; examinentur à Patribus per Ministros, & Custodes respectiuè ad id deputandis, & inhabiles à confessionum audiendarum exercitio, sine personarum acceptione, suspendantur; quantumuis pauci relinquendi sint. Sola namq; charitas ad id munus nos incitat, atque impellit, & ipsa, si vera sit, potius subditorum nostrorum periculis, quàm aliorum occurrendum esse docet.

Præterea illud, quod præcipuum locum obtinet, adnotatione dignum duximus; nempè studium sanctæ deuotionis, atquè internæ, ac mentalis pietatis, cuius solius omissio, vniuersæ Religionis subuertendæ, vel sufficientissima causa censenda est. Huic ergo fratres super omnia sese applicent, & dedant oramus; memores verborum B. P. Francisci in Regula dicentis; Atendant fratres, quòd super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, &c.

Oratio:

Vt.

Vt sanctæ orationi commodius vacent, volumus, & Prælatos, ac reliquos superiores monemus, vt silentium obseruari secundum antiquas constitutiones faciant; innumera enim mala ex opposito oriuntur, vt potè stultiloquium, murmurationes, detractiones, & cætera id genus, quibus omnibus silentio occurritur, tanquàm præstantissimo remedio; vnde meritò à veteribus nostris, clauis animæ silentium appellabatur: quod quidem, si à religione tollatur, certè non religio, sed confusio, & domus rixæ, atque discordiæ apparet: pacem verò, & tranquilitatem parit silentium, animamque ad diuinum cultum facilè parat, dicente domino per Esaiam, Erit opus iustitię pax, & cultus iustitiæ silentium. Silentium. Esaiæ 32.

Verùm quia nonnunquam silentium interrumpendum est, & charitas ipsa ad loquendum impellit, caueant fratres, nè ex ore ipsorum malus sermo, noxius, detractorius, aut minus pudicus procedat. Custodiant igitur vias suas, vt non delinquant in lingua sua. Qui enim, (ait beatus Iacobus) non refrenat linguam suam, eius vana est religio. Religiosi siquidem lingua instrumentum gratiæ, & sapientiæ esse debet, rationis organum spirituale, specialiter diuino cultui dedicatum. Os iusti (ait Salomon) vena vitæ, os autem stulti confusioni proximum. Audiant ergo Apostolum dicentem. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Iacobi 1. Prou. 10. Eph. 4.

Et quoniam otia dant vitia, & docent malitiam multam; nitantur fratres semper in sanctis exercitiis detineri, nec mentem in diuersa vagari sinant: occupentur præcipuè in sanctis lectionibus, & omnes, qui idonei fuerint, in studiis litterariis. Otium enim sine litteris (vt quidam dixit) mors est, & viui hominis sepultura. Attendentes quòd fratrum Minorum studium, ad inflammandum affectum, & ad mores vertendum est. Reliqui autem iuuenes ad studia litterarum inhabiles, & laici etiam, in exercitiis honestis iugiter alligentur; quoniam iuuenis in otio, est veluti iumentum sine iugo. Laborent igitur fratres fideliter, & deuotè, ita, vt otium malorum omnium sentinam, studio, ac sancto labore euadant; quemadmodum nos seraphicus Pater per Regulam admonet. Otium.

Vlterius, quia nostra Religio ad hoc specialiter à Deo noscitur instituta, vt simus operarii in messe Domini, & ecclesiasticorum coadiutores, idcirco conuenit maximè, vt tanquam Dei Ministri cooperemur, & adiuuemus eos, quibus animarum cura in Ecclesia Dei commissa dignoscitur, & secundum Beati Patris nostri Francisci documentum, omnes, presbyteros honoremus, ac veneremur, prælatos præsertim sanctæ matris Ecclesiæ Rom. & curatos singulos Ecclesiarum, cum quibus fraterna, imò diuina pax, vt omnino seruetur optamus. Nec vlla unquam occasione, aut ratione, uel funerum, aut sepulturæ, alia uè causa, cum illis rixentur, contendant, seu litigent fratres. Indecorũ enim est, pro re qualibet, pacem, summum Domini nostri Iesu Christi hæreditarium bonum, nobis relictum, perdere, populumq; scandalizare.

Pax cum Ecclesiasticis.

Cærimoniæ.

Cæremoniæ, & praxes, siue consuetudines antiquæ, quæ religionem sanctam custodiunt, exornant, ac seruant, renouentur, & conseruentur omnimodè, qualia sunt, culpas in communitate recognoscere, & petere veniam ante mensam, comedere super pauimentum, coram senioribus genuflectere, & cętera mortificationis exercitia, quibus spretis, religionis, etiam fundamenta ruinam minantur: ait namque Salomon. Qui spernit modica, paulatim decidet: parua siquidem apertura, vel fractura, magnæ nauis sæpe fit iactura, ideò ista in religione non sunt paruidicenda, quia, vt sancti viri docent, licet eæ cęremoniæ parui momenti videantur, totius religionis sunt custodia, & vineæ pulcherrima sæpes, ac fortissima maceries. Vbi autem sępes non est, diripietur possessio. Quare mirum non est, si reiectis piis his cæremoniis, statuta quoq;, & Regula ipsa filiis Belial contemptui quandoque sit habita; & à sancto proposito, & professione deficientes, ad sęculum redierunt; & nefanda scelera perpetrarunt. Aliæ autem cæremoniæ, quæ interioris hominis decorem, & morum compositionem, prædicant, nullatenus negligantur: qualia sunt, habitus vilitas, uisus mortificatio, corporis, & gestus decentia, & id genus cætera: de quibus scriptum est. Amictus corporis, risus dentium, & ingressus hominis, enunciant de illo. Ille verò cæremoniæ, quæ in sacro missæ sacrificio, & aliis diuinis officiis, & Sacramentis admini-

Eccle. 19.

Eccle. 19.

administrandis institutæ sunt, in primis ab omnibus, tàm Sacerdotibus, quàm Ministris obseruentur. Quare rogamus vos dilectissimi, tenete Patrum traditiones, & pias consuetudines, nè vnquam omittatis. Venerandi autem P. Guardiani omnia necessaria subditis præstent, tàm in victu, quàm in vestitu, & aliis quibus egent. Infirmis, senioribus, ac debilibus, medicamenta, & alia necessaria itidem prouideant; & ut iuxtà Regulę sanctæ præceptum illis inseruiatur, curent, nè cogantur fratres contra conscientiam, cum populi scandalo, sibi eiusmodi prouidere. Nam (teste experientia) hæc est vna, & non leuis ruinæ Religionis causa, quod subditis non raro à superioribus necessaria denegantur. Vnde facilè ipsi proprietatis vitium committunt. Guardiani.

Denique frequentatio Monasteriorum Monialium tollatur: suspecta mulierum familiaritas vitetur: equitandi abusus eradicetur: & pecuniarum contrectatio detestabilis, à vobis (o Pastores) puniatur. Nec sit apud vos personarum acceptio; sed studiosos, & probos honorate, & exaltate; improbos autem, in virga disciplinæ continete; quoniam (vti Salomon ait.) Virga, atque correctio tribuit sapientiam, puer autē qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suā. Disciplina enim, Religionis est magistra; & vbi disciplinę rigor; ibi Religionis uigor, vbi autē deest correctio, ibi abūdat peccati corruptio. In cujus typum dicitur in Exodo. Proiecit Moyses virgā, & versa est in colubrum. Oramus ergo vos, quibus gregem suum pascendum Christus commisit. Oramus inquam, & obtestamur per amaram passionem Domini nostri Iesu Christi, & per aspersionem sanguinis eius, nè vnquam excidat ex animis vestris, hoc esse pretium illud magnum, quo gregem hunc suum emit piissimus Dominus noster Iesus Christus, uobisque vnicè curandum tradidit. Quamobrem, quos ille tanti fecit, ut pro his accerbissimos cruciatus perpessus fuerit, pretiosissimumquè sanguinem effuderit; in eorum vos salute tuenda, conseruanda, & recuperanda, nè segnes, atque remissi uideri uelitis. Memineritis, per Deum immortalem, vnicuique pastorum, de uno quoque sibi subdito dictum esse, Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius; Prou. 29. 3. Reg. 20.

lius, sanguinem enim impii, de manu speculatoris requisiturum se Dominus denunciat, si per eum steterit, quominus auertatur à via sua impia.

Attendite igitur vobis, (o Pastores) & gregi vestro, causasq; ruinę, & relaxationis, quas supra tetigimus præscindite, ac cætera, quæ de vestra prudentia confisi omittimus, diligenter curate, tanquàm Dei ministri. Et, nè aliquis uestrum (vt aliquando accidit) arbitretur, hanc epistolam propter cæremoniam, aut formam (vt aiunt) ad uos missam esse: præcipimus vobis per sanctam obedientiam, & sub pœnis arbitrio nostro infligendis, vt integrè efficaciterque, ea, quæ continet, obseruare faciatis: certioresque uos reddimus, quod in vestræ Prouinciæ visitatione, quam personaliter exequi decreuimus, illi grauiter punientur, qui in obseruantia prædictorum transgressores, aut negligentes reperientur. Confidimus autem meliora de uobis Patres, & fratres dilectissimi, tametsi qui Nos urit animarum zelus, ita loqui cogat, & pœnam transgressoribus infligere compellet. Nec in epistola ista (quam in communitate Monasteriorum vestræ Prouinciæ legi mandamus) longiores videbimur, si quantum saluti subditorum teneamur prudenter pensetur. Rogate Dominum, ut in omnibus quæ ad salutem gregis attinent, Nos dirigat, foueat, atque confirmet. Valete. Dat. Romæ in sacro conuentu Beatæ Marię de Aracœli, die vigesimaseptima Nouembris, Anni millesimi quingentesimi septuagesimi noni.

F. Franciscus Gonzaga qui
supra manu propria.




EPISTOLA

EPISTOLA REVERENDISS. P. F. Francisci Gonzagæ Ordinis Minorum Generalis Ministri, qua in partes Vltramontanas profecturus,

Patres, & Religiosos Prouinciarum Italiæ, eiusdem Ordinis de Obseruantia admonet, & ad suæ professionis obseruantiam excitat.

FRATER FRANCISCVS GONZAGA *totius ordinis Minorum Generalis Minister, & seruus, Reuerendis, ac Venerandis Patribus, Commissarijs, Ministris, Guardianis, Vicarijs, Præsidentibus, & alijs Religiosis Prouinciarum Italiæ eiusdem ordinis Regularis Obseruantiæ, Nobis amantissimis, salutem.*



Voniam ex onere Nobis iniuncto super oues curę nostræ concreditas inuigilare debemus, & eas salutari doctrina pascere, idcirco vt propriis auribus, earum vocibus auditis, impedimenta salutis ab eis remouere efficaciùs valeremus, omnes ferè Italiæ Prouincias, non sine ingenti nostro labore visitare curauimus: Vnumquemq; subditorum nostrorum sincero cordis affectu obsecrando, & monita salutis eis dando, idq; solo animarum zelo acti, & vt Prouinciarum labentium instaurationem promouere vtcumq; possemus. Cùmque ob præsentis temporis infœlicitatem, & quorumdam Pastorum incuriam, atque ouium multarũ ignorantiam, sancta, & Euangelica paupertas, quam deuouimus, adeò in plerisq; locis periclitetur, vt instituti nostri excidium imminere videatur. Ideò huic damno occurrere volentes, & fructum de nostro labore percipere exoptantes, ea quæ sępe sępius verbo expressimus, & statutis in uisitatis Prouinciis pro illa-

illarum reparatione ordinare curauimus, etiam nunc ad partes vltramontanas profecturi, præsenti scripto repetere decreuimus, vt memoria magis hęreant, & feruentiori conatu à vobis ea quę sunt vitanda vitentur, & quæ adimplenda sunt operę compleantur.

Primò quia iuxtà declarationem Domini Leonis Papę X. fratres minores, de Regulari obseruantia, incapaces sunt onerum perpetuorum; missarum, & diuinorum officiorum, ideò non licet vobis huiusmodi onera acceptare: obstante expressa eiusdem D. Leonis prohibitione: præcipimus ergo vobis, vt ad vnguem obseruetis constitutionem factam in Capitulo Generali Vallisoletano, quę sic habet, Cęterum Capellanias quas vocant perpetuas, per conuentiones pręsertim, & instrumenta publica, recipi in aliquo conuentu omninò prohibemus: & si quę actenus sunt receptę, illas protinus resignare pręcipimus; conuentionesq;, & pacta rescindi: sed liceat fratribus per modum eleemosinę dumtaxat, missarum subsidia, quę liberè oblata fuerint, recipere.

Legata perpetua prohibentur.

2 Quoniam annui redditus intra immobilia censentur à iure, ac huiusmodi redditus obtinere, paupertati, & mendicitati professionis nostrę repugnat, ideo non licet vobis tales redditus habere, constat in sacro Concilio Triden. sess. 25. c. 3. de Regularibus, & expressè definitum est à bone memorię Clement. V. in Clement. exiui de Paradiso ar. 7. §. cumq; annui redditus. Ita etiam declaratur à S. Bonauent. Quatuor Magistris, Ioanne de Pechano. Hugone, Bartholomeo de Pisis, & Antonio Cordubensi, viris doctissimis, & in rebus professionis nostrę expertissimis. Innititur autem hęc doctrina iis verbis Regulę nostrę, Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini, & aduenę in hoc sęculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Vnde eiusdem Regulę expositio quę sanctorum Patrum ordinis communiter appellatur, super hunc locum sic habet. Hic pręcipitur secundum magistros, & sanctum Bonauenturam, nihil habere fixum, vt redditus.

Legata exigere.

3 Legata vobis facta, non potestis exigere, tanquam haben-

tes

tes aliquid dominii, aut iuris in illis, neq; petere illa poteſtis in iudicio, vel extrà, quaſi uobis debita ciuiliter, quia ex profeſſione veſtra incapaces eſtis iuris, & actionis cuiuſcunque ciuiliter, ratione etenim paupertatis ad quam tenemini, non poteſtis prętendere ius aliquod ciuile; circa aliquam rem, patet ex pręfata declaratione Domini Clementis ar. 6. §. deniq; Vbi dicit quòd Fratres recurrentes ad habentes pecunias pro rebus neceſſariis, in omnibus ſic ſe gerant, quod ſe cunctis oſtendant, in dictis pecuniis(ſicut nec habent) pœnitus nihil habere. Dicit pręterea idem D. Clemens, ar. 7. quòd Fratres ipſi, nullo modo debent aſsiſtere curiis, quando in illis de rebus agitur, in ipſorum commodis conuertendis, quia ex his quę foris patent, veriſimiliter crederetur in ipſis rebus fratres aſsiſtentes, aliquid quęrere tanquam ſuum, nullo ergo modo (inquit idem Romanus Pontifex) debent huiuſmodi voti, & Regulę profeſſores, ſe talibus curiis, & litigioſis actibus immiſcere, conformiter ad hanc doctrinam in Capitulo Generali Burgenſi, celebrato anno 1523. ita diffinitum eſt. Declaratur quòd ad perpetua legata petenda, non poſſunt fratres recurrere, niſi per modum eleemoſynę, abſque alicuius debiti allegatione. Et in Capitulo Generali celebrato Aſsiſii Anno 1526. facta fuit hæc conſtitutio, Decernitur, ac pręcipitur quod fratres nullo modo recipiant aliqua legata perpetuò relicta aliquibus perſonis, vel hoſpitalibus, vel aliis domibus, vt dent fratribus certam eleemoſynam ſimpliciter, vt ipſi dicant certa officia, vel miſſas; imo quòd Guardianus, vel Præſidens faciat proteſtationem iuridicam, & autenticam ei qui implere tenetur teſtatoris voluntatem, quòd nolunt illas eleemoſynas ex vi illius legati, nec volunt obligari, nec teneri ad illa officia, vel miſſas, & quòd ſi voluerint legatarii transferant in alium locum. Si tamen facta iſta proteſtatione, legatarius prędfatus, voluerit ex ſua mera voluntate, dare eleemoſynas illas, & committere Fratribus dicta officia, & miſſas, poſsint fratres cum bona conſcientia recipere, hęc ibi. In ſtatutis etiam Generalibus Salmaticenſibus à Sancta Sede Apoſtolica approbatis, ſic habetur, Inhibemus etiam per obedientiam quòd nullus frater per ſe, vel per alium, inducat aliquam perſonam

Proteſtatio facienda legatariis.

ſonam

ſonam ad faciendum,vel ordinandum aliquam eleemoſynam perpetuam, vel ad vitam, ſibi,vel alteri, vel etiam ordini, aut conuentui exhibendam,& ſi aliqua talis fuerit ordinata,nullo modo à Fratribus,vel ab aliquo, nomine ipſorum, in iudicio exigatur, aut exigi procurent, hęc ibid. cęterum ad ſubleuandum indigentiam fratrum, legata ipſa, extrà iudicium humiliter, & per modum eleemoſynę petere poteritis.

Oblationes in miſſis nouellis, & Indulgentiis ꝓhibitæ.

4 Non licet vobis oblationes pecuniarias in miſsis nouellis, in diebus indulgentiarum, aut aliis ſolemnitatibus, in veſtris Eccleſiis recipere,vel per plateas, ſeu domos,cum diſco,capſula,ſeu arcula, denarios per vos ipſos,aut per alios quęrere, pro luminaribus, ſeu pro fratribus ſuſtentandis, aut infirmis ſubleuandis, uel alia quacunque ex cauſa, quia hęc omnia ſunt quęſtus pecuniarii, vobis prohibiti. Vnde in antedicta D. Clementis declaratione ar. 6. §. Quocirca queſtus, &c. habetur,quod quęſtus omnis pecunię, ac oblationum pecuniarum receptio in Eccleſia,ſunt Fratribus ſimpliciter interdicta,& in ſtatutis generalibus Salmanticen. c. 4. habetur. Oblationes pecuniarias in miſsis nouellis, aut ſimilibus, fratres nullo modo recipiant, aut recipi permittant,hęc ibi.

Cyppi,& Capſulę, in Eccleſiis,probibentur.

5 Non licet vobis in Eccleſiis veſtris truncos, vel cyppos habere, ordinatos ad offerentium, ſeu donantium pecunias reponendas, quia interdictum eſt vobis in eadem D. Clementis declaratione loco citato. Vnde in capitulo Generali celebrato Aſsiſii anno 1576. ſic deffinitum eſt. Non permittantur in Eccleſiis noſtris trunci, ſub quouis palliato colore, nec pro ędificandis Eccleſiis, ſeu clauſtris, nec pro indulgentiis lucrandis,nec pro fratribus ſuſtentandis, nec pro confraternitatum manutenentia, hęc ibi. Cęterum placet Sanctiſsimo D. N. Gregorio PP. XIII. ut iuxtà veterem huius noſtrę familię Ciſmontanę conſuetudinem, in omnibus locis dictę familię (illis locis dumtaxat exceptis,in quibus pręfatas D.Nicolai iii. & Clem. V. declarationes in omnibus ſeruare tenentur), arca vna in ſacriſtia haberi poſsit, in qua eleemoſynę pecuniarię reponantur, quę pro fratribus elargiuntur;ita tamen,vt dictę arcę, clauem habeat apud ſe Procurator ſęcularis, & non fratres.

6 Sera-

6 Seraphicus Pater noster S. Franciscus, cum summè affectaret suæ Regulæ professores, totaliter esse abstractos ab affectu, & desiderio terrenorum, & specialiter à pecunia, & eius vsu totaliter inexpertos, eis denariorum receptionem, & contractationem prohibuit, dicens, Præcipio firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam. Vnde Nicolaus tertius, & Clem. V. declarant, fratres ipsos non solùm à receptione, proprietate, dominio, siue vsu ipsius pecuniæ, verumetiam à contrectatione qualibet ipsius, esse pœnitus alienos. Cauete ergo ab omni denariorum receptione seu contrectatione, nè incidatis in pęnam constitutionis Generalis Salmanticensis, quæ sic habet c.4. Quicunque frater supra se portauerit, aut manu propria contrectauerit pecuniam, aut in pera quam portat secum, aut supra iumentum portauerit, vel in cella, aut confessoriis retinuerit, pæna carceris per mensem puniatur, hæc ibi. cæterum ne symoniæ species, vel similitudo, in administratione Sacramenti pænitentiæ appareat, aut occasio confessariis detur contrahendi vitium proprietatis, eis inhibemus, nè quouis prætextu, aut palliato colore, scienter permittant, quòd in eorum cellis, aut confessoriis, vel in alio quouis loco, pænitentes relinquant denarios, sed si aliquis ex pænitentibus eleemosynam dare voluerit, vadat ad Procuratorem, seu Syndicum; aut certè denarios reponere poterit in arca sacristiæ. Si quis autem confessorum contrarium attētare præsumpserit, præter præfatam carceris pœnam, & vocis actiuæ, ac passiuæ ad biennium priuationem, priuabitur offitio audiendarum confessionum, nec restitui poterit, nisi in Prouinciali capitulo. Quia uerò nonnulli superiores interdum reperiuntur, qui salutem animarum minus curantes, denarios ab ipsis confessoribus exigere non verentur, ideo decernimus nè quispiam illorum directè, aut indirectè denarios à dictis confessoribus expostulare præsumat quoquomodo.

Pecuniæ cōtrectatio omnino interdicitur.

Confessarii à pænitentibus denarios relinquere non permittant.

7 Non licet vobis habere hortos, prata, & huiusmodi, vt colantur, & olera, seu alia hortalicia, vel fructus, & fœnum prætio distrahantur: neque vineas ad colligendum vinum, habere potestis, vnde D. Clemens in præfata declaratione ar. 7. §. licet verò, ait, habere tamen hortos aliquos, vt colantur, ad olera, &

Vineas, ut colligatur uinum, & hortos, ut uendantur fructus habere non licet.

alia hortalicia pretio distrahantur, nec non, & vineas, repugnat suæ Regulæ, & ordinis puritati, & D. Nicolaus iii. in sua præfata declaratione ar. 3. §. ad hæc, dicit, quod si testator legaret fratribus, vineam, vel agrum ad excolendum, vel domum ad locandum, à tali legato, & eius receptione, per omnem modum fratres abstineant, cum etiam præmissa habere, vt pretium fructuũ suis temporibus habeant, ad naturam, & formam prouentuum appropinquent, meritò ergo in Cap. Generali Burgensi, celebrato anno 1523. decretum fuit, quod omnes vineæ ex quibus fratres colligunt vinum pro sua prouisione adhibendum, tollantur, destruantur, & eradicentur. Itaque vobis precipimus, nè vineas ad colligendum vinum habeatis.

Locare prata hortos uel domos pretio nõ licet.

8 Non licet vobis, siue per vos, siue per Procuratorem, hortos, prata, seu partem aliquam domus, pretio locare aliis, apertè colligitur ex præfatis Apostolicis declarationibus, præsertim D. Nicolaii iii. & huius rei ratio est, quia talia facere, ad naturam, & formam prouentuum appropinquant, vnde tàm in Capitulo Generali Assisii celebrato anno 1526. quàm in statutis Generalibus Salmãticen. sępe superiùs allegatis, cap. 6. sic diffinitum est, Nullus Guardianus loci, Vicarius, aut alius quomodocunque Pręsidens, etiam per Procuratorẽ, audeat vendere ligna, fœnum, vel quę nascuntur in hortis, & huiusmodi, neque pascua, domos, aut hortos ipsos quouis modo locare, hęc ibi. Similiter illicitum est vobis, & indecens, in hortis, seu pratis vestrorum locorum, boues, aut alia animalia nutrire, vt post modum vendantur, & pretium ad fratrum vtilitatem conuertatur, indecens enim hoc est statui vestro.

Nutrire animalia ut uendantur interdictum.

9 Ait Regula nostra Seraphica cap. 2. Fratres omnes vestimentis vilibus induantur, quę uerba, iuxtà pręfatam Domini Clementis declarationem ar. 2. §. vt autem &c. sunt pręcepto equipollentia, & tanquam obligatoria à fratribus obseruanda. Vestimentorum autem uilitas, vt docet statutum Generale Salmanticen. cap. 2. attendenda est in pretio pariter, & colore, in quibus semper reluceat asperitas, uilitas, & paupertas; sed iudicium huiusmodi vilitatis, tam uestium exteriorum, quàm interiorum, non fratribus ipsis subditis, sed Pręlatis commissum est, ut constat ex sępe dicta Clement. declaratione artic. 4. &

ex

ex declarat. D. Ioannis xxii. quę incipit quorundam exigit. Proinde quemadmodum temeritas illorum qui (volentes plus ſapere quàm oporteat ſapere, & pręfatorum Romanorum Pontificum declarationes negligentes) habitus curtos, ſtrictos, inuſitatos, & ſqualidos, ac nouitate plenos aſſumunt, per pręfatum D. Ioann. xxii. declarationem, & per ſtatuta generalia, pręfata Salmanticen. damnata eſt, ita ueſtimentorum pretioſitas, & curioſitas multorum meritò profligari debet, ſciant ergo illi qui de panno pretioſo Bononienſi, aut Mediolanenſi, uel alio ſimili contra communem Prouinciarum, & locorum uſum ueſtiri non uerentur, ſiue ſint Pręlati, ſiue ſubditi, ſe contrarios eſſe, tùm paupertati quam profeſſi ſunt, & intentioni Seraphici noſtri Patris Franciſci, tùm etiã dictis declarationibus Apoſtolicis, in quibus non committitur Pręlatis ut de uilitate ueſtium temerè, & ex animi ſententia arbitrentur, & iudicent, ſed illorum conſcientię onerantur, ut uidelicet prudenter, & cum timore Domini id iudicent, habita ratione altiſſimę paupertatis noſtrę, conſuetudinis, uel conditionis patrię. Vnde inquit idem Clemens, huiuſmodi uilitatis iudicium, Miniſtris, & Cuſtodibus, ſeu Guardianis duximus committendum, eorum ſuper hoc conſcientias onerantes, ita tamen quòd ſeruent in ueſtibus uilitatem, hęc ibi, & pręfatus D. Ioan. quando committit Pręlatis arbitrari, & iudicare de ueſtimentorum colore, uilitate, pretio, & paupertate, ſtatim ſubiungit, ſuper quibus eorumdem Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum conſcientias oneramus, & pręcipit fratribus, quatenus in prędictis, & iis ſimilibus, arbitrium, determinationem, ſiue iudicium Generalis Miniſtri in toto ordine, & Prouincialium Miniſtrorum in ſuis Prouinciis ſequi omnimodè, illiſque parere per omnia teneantur. Obſecro ergo uos per miſericordiam Dei, ut omnis pretioſitas, & curioſitas longe ſit à ueſtimentis ueſtris: quęcumque enim ſunt in uſum uerorum pauperum, iuxtà paupertatis Regulam, menſuranda ſunt, paupertas autem uera (ut inquit S. Bonauentura) nihil pretioſum habet, & religioſi pauperis, cum Regula ſit pauper, ueſtis pretioſa, & curioſa, confuſio eſt. Vnde in antedicta Domini Nicolai declaratione dicitur, quod ſemper in noſtris fratribus, & eorum actibus paupertas

Pretioſitas ueſtimentorum tollatur.

tas sancta reluceat, prout ipsis, ex eorum Regula inuenitur in dicta. Itaque si aliquis uestrum post præsentium publicationem, de panno precioso Bononiensi, Mediolanensi, aut alio simili, vestem aliquam sibi fieri permiserit, huiusmodi veste priuetur; & pœna proprietarii puniatur, ac si Prælatus, vel superior fuerit, vltra dictas pœnas, suo officio priuetur: nemo igitur vestrum induatur de particulari panno, sed quilibet in suo conuentu de eo panno vestiatur, de quo reliqui dicti conuentus fratres induuntur: & sit vobis turpe, in veste vili non imitari Christum, Apostolos, & Seraphicum, Patrem Nostrum Franciscum, qui in prima sua Regula dicebat, Non quærant fratres caras vestes in hoc sęculo, vt possint habere vestimentum in regno cœlorum.

Aromatarii nil uendant.

10 Quoniam indecens est, quòd fratres nostri aromatarii, & infirmarii vendant cinamomum, piper, & cætera huiusmodi, ideo talia fieri, aut arculam ad reponendas denariorum eleemosynas, habere in suis officinis, vel de prętio syruporum, seu aliorum medicamentorum conuenire, omnino prohibemus, quòd si pro pharmacis, vel alio labore ipsorum aromatariorũ, eleemosyna aliqua pecuniaria elargita eis fuerit, tradatur Procuratori; quemadmodum per Martinum V. & per constitutiones generales Salmanticenses extitit ordinatum.

Excommunicantur contrafacientes, & permittentes.

Denique quia interdum non sufficit salutis viam Religiosis ostendere, sed necesse est pœnam transgressoribus infligere, ideo in Prouinciarum statutis à Nobis editis, pœnas contrafacientibus infligendas taxauimus: & nunc omnibus, & singulis Prouinciarum, & locorum Italię, Prælatis, & superioribus pręsentibus, & futuris, etiam si sint Commissarii Generales, sub excommunicationis latæ sententię pœna præcipimus, nè contra ea quę continentur in pręsenti epistola nostra (quàm in communitate Monasteriorum suorum legi mandamus) quicquam attentare pręsumant, aut fieri scienter permittant. Ad hanc autem grauissimam pœnam infligendam impellimur, crassa incuria multorum, mandata superiorum seruare negligentium. Attendite igitur vobis (ò Patres) & auribus cordis verba mea percipite, nè cum hypocritis, & transgressoribus pars vestra reponatur; & nè vobis videatur grauis hęc professionis

vestræ